



TOMUS XXXIV.  
MISCELLANEOUM.

~~G.V.f.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-45.

SIGNAT. MDCCCXIII.

6 bände:

THESES THEOLOGICAE  
DE  
ECCLESIA  
DOMINI DEI  
NOSTRI,

QVAS  
Auspice Christo;

PRÆSIDE  
REVERENDO ET  
CLARISSIMO VIRO, IACOBO  
KIMEDONCIO, S. S. Theologiae Docto-  
re & Professore in inclita Heidel-  
bergensi Acade-  
mia;

PRO THEOLOGIAE  
DOCTORATU,  
ABEL BEDEVVS ANDEGAVENSIS,

examinandas proponit: hora & loco  
solitis, ad XIII. Kal. Iul.

HEIDELBERGÆ,  
Typis Smesmannianis, Anno c1o 1o xcvi.

26

# THESES THEOLOGICAE

## De Ecclesia Domini Dei nostri.

### THESIS PRIMA.



DEVS humanum genus condidit, ut ab eo agnoscarur, colaturque etiam in hac vita: Necessse est igitur semper extare aliquos homines qui Deum agnoscant, colantque.

II.

Cum autem per inobedientiam primi illi nostri parentes cum suis omnibus posteris in tam densas ignorantiae tenebras demersi sint, ut homines à natura nesciant quis verus Deus sit, quoque modo sit colendus: Deus statim post lapsum hominis, Adamo & ejus posteris certis medijs se cognoscendum praebeuit, deque sibi debito honore & cultu erudit: à se auersum genus humanum ea ratione reuocans.

III.

Deus in verbo suo scriptis Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarumque reuelato, sufficienter ad salutem humano generi se patefacit & praescribit quae ad se rite colendum necessaria sunt, hominesque à malo ad bonum reuocat: siue id verbum legatur aut recitatum audiatur.

IV.

Quicumque Deum verbo suo vocantem ad fidem & poenitentiam, inuitantemque ad vitam aeternam promissionibus Euangelij, audiunt: & profitentur se Deum ex praescripto verbi sui colere velle (neque enim omnes id faciunt) quaeque iubet amplecti: quae prohibet, missa facere; recedunt à coetibus colentium Deos fictitios, aut Deum fictitijs cultibus: se aggregant coetui eorum qui verum Deum ex verbi eius praescripto colere se profitentur: Illi omnes simul, aut etiam ex illis certus numerus, ut vnum corpus considerati cum suis liberis, Ecclesia dicuntur, voce Graeca, alijs tamen nationibus in hoc negotio usitata, eò quòd ex reliqua hominum multitudine in vnum euocantur: singuli verò seorsum, membra Ecclesiae dicuntur.

V.

Hunc coetum ( siue omnia simul membra ut vnum corpus consideres, siue certum membrorum numerum in vnum locum collectum) iam olim Deus distinxit à reliqua hominum turba, tribus modis. 1. notis quibusdam 2. speciali regiminis forma. 3. proprijs certisque attributis. De his ergo tribus nonnulla consideremus, de notis, regimine, & attributis Ecclesiae. Eccle-



Ecclesiam habere notas est conueniens : tum propter Ecclesiam, ne confundatur cum reliqua hominum turba: tum propter membra singula Ecclesiæ, vt se mutuo agnoscant, suam coram extraneis profiteantur religionem, ipsisque de sua religione constet: tum propter eos qui extra Ecclesiam sunt, vt si Deus illorum cordi studium pietatis indiderit, cui se cœtui adiungere debeant, videant, allicianturque: sin neglexerint, reddantur inexcusabiles.

VI.

Sunt autem Ecclesiæ Christi notæ, verbum Dei & sacramenta. Est enim Ecclesia congregatio profitentium verbum Dei & vrentium sacramentis.

VII.

Et quò puriùs in cœtu aliquo hæc retinentur, eò purior etiam est Ecclesia. Iis autem aliquo modo vitiatis, Ecclesia quoque intelligitur esse vitiata: Nec tamen Ecclesia Christi statim esse definit, vt Corinthiorum & Galatarum docent exempla.

VIII.

Limites certos hic præscribere perdifficile est. Non parum tamen adiuuatur iudicium dictis hinc Augustini. *Non omnem errorem esse haresin. Item, Inter hereticos non habendos qui sententiam suam quamuis falsam atque peruersam nulla pertinaci animositate defendant, præsertim quam non audacia præsumptionis ipsi pepererint, sed a seductis & in errorem lapsis parentibus acceperint: querant autem veritatem, corrigi parati cum inuenierint.* In eandem sententiam, de vtil. cred. cap. i. discernit inter hæreticum & hæretico credentem.

IX.

Præfat. de  
83. hares.  
epist. 162.

Hinc nostri etiam licet Ecclesiæ titulum non simpliciter concedant Papistis, non ideo Ecclesias apud eos esse inficiantur, ac si prius tot seculis in Papatu interiisset Ecclesia.

X.

Calu lib.  
4. tit. c. 29  
§ 12.

Vbicunque igitur terrarum simus, ei cœtui tenemur nos adiungere in quo puriùs verbum Dei prædicari, & sacramenta puriùs administrari scimus: cum eo preces nostras & reliquum Dei cultum peragere; nec vlllo modo pati debemus nos ab eo cœtu auelli.

XI.

Si aliquando contingat vt sæpe Dei iusto iudicio factum est, vt tyrannorum sæuitia, ita omnes publici cœtus dissipentur, ministri è medio tollantur, vt nec verbi prædicationi nec sacramentorum administrationi detur locus; piorum patrum familiars officium est non communicare aliorum peccatis, sed priuatim ex verbo Dei instituere familiam; interim omnibus votis Ecclesiæ reformationem optare, atque vbi Deus eam dederit eò cum omnibus suis, omnibus postpositis contendere. hæc de notis.

XII.

Regitur Ecclesia duplici regimine. Altero ciuili, quod est illi com-

XIII.

A a mune

munere cum reliquis hominum societatibus, quæ legibus, Magistratû-  
que reguntur: altero Ecclesiastico, sic dicto, quod sit Ecclesiæ peculiare.

XIV. Duplex hoc Ecclesiæ regimen Deus iam olim distinctum esse vo-  
luit, ac proinde per distinctas personas administrari. Non debet igitur  
Ecclesiasticus politici Magistratus onus subire, sed quantum po-  
test ciuilibus negotijs se non implicare.

XV. Regimen Ecclesiasticum non eodem modo in omnibus Eccle-  
sijs, imò non eodem modo semper in eadem Ecclesiâ obseruari po-  
test. Non tamen debet quicquam quouis prætextu, quod sit contra  
verbum Dei, ob sit hominum salutem, honestati repugnet, admitti.

XVI. In veteri Testamento Deus exactè præscripserat suo populo Ec-  
clesiæ regendæ formam. At in nouo, non ita sigillatim: sufficienter ta-  
men, vt ex ijs quæ in scriptis Euâgelistarum & Apostolorum legimus,  
facile sit optimum Ecclesiæ regimen instituire, difficilimum autem  
bene institutum obseruare: tum propter tyrannos qui Ecclesias quan-  
tùm possunt, opprimunt: tum propter virorum penuriam qui apti  
sint ad Ecclesiæ gubernacula tenenda: tum etiam quia multi sunt in  
Ecclesia qui se regi non patiuntur, ad eò vt optimè constitutæ Ecclesiæ  
faciem videre potius sit optandum quàm sperandum. Quale tamen  
regimen Ecclesiæ secundum Dei verbum possit institui, audiamus, id-  
que ratione habita Ecclesiæ sub Nouo Testamento.

XVII. Requiritur ab omnibus qui Ecclesiasticam prouinciam subire  
volunt, vt sint membra Ecclesiæ; vt pietate, prudentia, alijsque donis  
supra reliquos, sint conspicui; vt ad talia munia legitimè vocentur: de-  
bent enim non per fenestram sed per ianuam intrare.

XVIII. Agnoscimus tamen Deum sæpe extra ordinem in magnis depra-  
uationibus doctrinæ & cultus, quosdam viros specialibus donis orna-  
tos excitasse, quorum vocatione diuinam fuisse, doctrina, euētus, con-  
sensus Ecclesiarum ad quas missi fuerunt, comprobarunt: etsi omnia  
ad amissim primo conatu reparare non potuerint.

XIX. Vocatio legitima ordinaria, est personæ idoneæ per Ecclesiam aut  
eos qui præsunt, habito diligenti vitæ ante actæ, morum, & donorum  
necessariorum examine, electio ordinatioque.

XX. Ordinarij ritus vocationis sunt, manuum impositio cum deuota  
pro ordinando inuocatione Dei: promissio solemnis qua se ordina-  
tus obstringit ad partes sibi demanandi muneris pro virili explendas:  
præsentatio coram tota Ecclesia, cui præficiendus est, cui licet iustis al-  
legatis causis & sufficiētibus, præsentatum non admittere nec audire.

In ipsa

In ipsa vocatione singulis partes sui officij limitantur: vt pro varijs  
officijs distincti sint gradus Ecclesiasticarum personarum. Aliis enim  
eleemosynarum collectio & distributio, pauperumque cura assigna-  
tur: aliis tantum cura Ecclesiasticæ disciplinæ committitur: aliis  
præter hanc, verbi insuper prædicatio & sacramentorum admini-  
stratio demandatur. Horum numerus magnus est aut parvus pro rati-  
one Ecclesiæ. De nominibus disputare parum refert: satis est in scrip-  
tura officia bene distingui. Atque hos tres præcipuè ordines Apосто-  
lorum tempore fuisse legimus. Procedente tempore alios deinde ad-  
iunxit Ecclesia, vt Gratianus quoque refert distinct. 21. c. decretis.

XXI.

III

Si vnus loci Ministri & seniores conueniant, deliberaturi secun-  
dum suum officium de rebus Ecclesiæ vtilibus, talis cœtus dicitur  
presbyterium, siue senatus Ecclesiasticus. Christus Ecclesiam synec-  
dochicè vocauit Matth. 18. 17. Cumque multa talia incidant quæ ab  
vnus Ecclesiæ consistorio dijudicari non possint, requiraturque  
aliarum Ecclesiarum iudiciũ & autoritas, vt factum legimus Act. 15. si  
variarum Ecclesiarum consistoria conueniant, aut coram, aut per le-  
gatos, dicitur talis cœtus, conuentus siue classis: si ex tota prouincia,  
prouincialis: si ex tota natione, nationalis: si ex omnibus natio-  
nibus, œcumenica synodus Græcis: Latinis, conciliium generale siue  
plenarium.

XXII.

Horum conuentuum maxima est utilitas & autoritas in fugan-  
dis hæresibus, reformandis corruptelis in doctrina & ceremonijs,  
explicandis scripturis & articulis fidei, dissidijs religionis compo-  
nendis. Non tamen omnium æqualis est autoritas: quippe quò ce-  
lebrior est conuentus eò plus habet autoritatis. Insuper scien-  
dum est, nec singulorum cœtuum, nec omnium simul rescripta, pa-  
ri autoritate esse debere apud nos cum sacra scriptura, cum plus  
credendum sit vni rustico secundum scripturæ sacræ vel vnicum  
locum, affirmanti, quàm illis omnibus simul in contrarium ne-  
gantibus.

XXIII.

Hæc concilia habent potestatem exautorandi quemlibet Epi-  
scopum siue magnæ siue paruæ Ecclesiæ, præeunte causæ cogni-  
tione. Nec necesse est aut expedit Romanæ Ecclesiæ Episcopum  
præesse omnibus concilijs, siue plenarijs, siue nationalibus, aut ali-  
is. Nam potest alius Ecclesiæ Episcopus æquè vtiliter & æquali  
iure eligi à concilio, qui totam concionem moderetur, & meliùs

XXIV.

his partibus defungatur ipso Romano Episcopo. Adde quod sine Episcopo Romano & contra Episcopum Romanum optime definire potest Concilium vel prouinciale, de doctrina fidei: tantum abest ut Concilium debeat censer nullum cui non praefuerit aut interfuerit Romanus Episcopus, nedum ut ad salutem credendum sit Romanum Episcopum esse totius Ecclesiae Catholicae caput ministeriale, & Christi in terris vicarium vniuersalem.

xxv. His caetibus Ecclesiasticis omnibus simul congregatis, & singulis seorsum, imò singulorum caetuum singularibus membris, datae sunt clauae regni caelorum, sed tamen distincte pro auctoritate caetus & personae officio.

xxvi. Hi caetus (vel si omnes simul congregatos consideres, vel singulos seorsum, vel etiam singulorum caetuum singularia membra) possunt aliquando errare in articulo alicuius fidei, aut plurium intelligentia & expositione, aut in ijs quae ad ordinem & mores spectant.

xxvii. Vniuersitas fidelium per totum mundum praedicatione verbi velut reti quodam ex mari in vnum collecta, notis supra dictis & regiminis forma ab alijs caetibus distincta, vocatur Ecclesia Catholica, ad differentiam Ecclesiae Iudaicae, quae vno populo & terra circumscribatur.

xxviii. In hoc magno caetu sessurum esse Antichristum iam olim praedixerunt Paulus & Iohannes Apostoli, & ex hoc caetu multos seducendos ab eo falsa doctrina & signis. Cum autem iam tempore Pauli mysterium illud iniquitatis coeperit, & ad finem vsque mundi duraturum praedicat scriptura; non dubium est quin his nostris temporibus iam valde corroboratum sit & amplificatum regnum Antichristi, Imperio praesertim Romae translato, ut secundum Iohannis Prophetiam Romae Imperij sui sedem constitueret Antichristus.

xxix. Et cum constet Ecclesiae Romanae Episcopos supra reliquos omnes iam inde a multis annis, corruptissimam doctrinam inuexisse, moribus corruptissimis fuisse, mores impurissimos tolerasse, tot caedium, & carnificinarum in pios propter religionem autores fuisse & esse, nihilominusque magnum applausum regum & populorum habere, statuimus in Episcopos Romanos cum suis omnibus affectis melius cadere quae de Antichristo praedixit scriptura, quam in vllum alium ordinem. Neque tamen negamus fieri posse ut praecedentibus Episcopis Romanis aliquis in officio succedat, in quo adhuc euidentius omnia compleantur quae Antichristo in scriptura tribuuntur, quique

nat



κατ' ἐξοχλὴν propter insignem corruptionem doctrinae & morum, & sceleratam Antichristus dici possit.

Attributa Ecclesiae distribuere possumus in has tres classes. Aut. n. xxx.  
attribuuntur toti Ecclesiae quatenus unum corpus constituit, & aequaliter eius partibus conueniunt. Aut attribuuntur toti Ecclesiae, et si proprie tantum certo numero ex illo toto collecto conueniunt. Aut attribuuntur parti tantum & parti tantum conueniunt.

Attributa primi ordinis sunt cum Ecclesiam Catholicam vocamus Christianam, Apostolicam, domum Dei, regnum caelorum, agrum Dei: haec enim Ecclesiae Catholicae & singulis Ecclesiis particularibus competunt. xxxi.

Attributa secundi ordinis sunt, vel in laudem, vel in vituperium. xxxii.  
In laudem, cum Ecclesia dicitur columna & stabilimentum veritatis: portas inferorum non prevalere aduersus eam: tota pulchra, sponsa Christi, eius corpus, dilecta, sancta, ouile Christi, &c. Haec omnia de tota quidem Ecclesia praedicantur; tum quia tota talis esse deberet: tum quia quandiu in hac vita sumus, non possumus eum coetum cui haec proprie competunt a reliquis discernere, & ex charitate de nullo iudicantes temere omnes tales esse posse speramus: tum etiam quia in tota Ecclesia & ex tota Ecclesia quibus haec attribuantur proprie, desumuntur. Proprie tamen ijs tantum competunt quos Deus elegit ad vitam aeternam, qui nunquam finali apostasia veritatem abnegant, quos Pater donauit Filio, quos nemo eripere potest ex eius manibus, quos Christus sanguine suo lauit ab omnibus peccatis, qui Christo datam fidem seruant, & eius corpori per fidem inseruntur, quos Filius vnicè diligit, sanctificat in veritate, pascit ad vitam aeternam, regitque spiritu Sancto, qui etsi in hac vita sancti perfecte non sint, sunt tamen inchoatione, sunt fide, & tandem erunt re ipsa in seipsis perfecte sancti.

Hic numerus, quia nulla visibili nota a reliqua multitudine distinguitur, soli Deo notus qui nouit qui sui sunt, eosque ob signat suo spiritu promissionis in diem redemptionis, dicitur Ecclesia inuisibilis: & perstat etiam obumbrata hic illic Ecclesiae visibili forma. xxxiii.

Non imaginamur Ecclesiam inuisibilem separatam aut aliam a visibili, cum in ipsa visibili & ex ipsa visibili Deus illam inuisibilem ad salutem conscripserit. Nam scimus eorum tantum Deum esse Patrem quorum Ecclesia est mater: & extra Ecclesiam non esse salutem, cum non sit extra Ecclesiam vera agnitio & inuocatio Dei. Scimus etiam Deum non agnoscere pro filiis suis, nisi quos semine incorruptibili verbi, &

verbi, & Spiritu Sancto regenuit. Deniq; scimus eos non esse extra Ecclesiam qui animo sunt in Ecclesia, etsi corpore fortè abesse cogantur à cœtu, cum quo vinculo charitatis & vnitatis fidei & spiritus colligantur.

xxxv. *Attributa quæ in vituperium ponuntur, dum Deus minatur Ecclesiae suæ, ostendunt qualis sit Ecclesiae conditio extra gratiam Dei: qualis sit nostris peccatis: qualis futura sit iusto iudicio Dei. vide totum 16. caput Ezech. sic dicitur populus Gomorrhæ, adultera, nō Dei populus, deserta &c. qualia Synecdochicè accipienda sunt, distinctis temporibus, personis, & alijs circumstantijs, obseruatis.*

xxxvi. *Attributa quæ tantum alicui parti conueniunt, & de tota Ecclesia Catholica dici non possunt, sunt ea attributa quæ varijs cœtibus pro varijs circumstantijs conueniunt. Sic ab vrbe, dicitur Ecclesia Ephesina, Geneuensis, Heidelbergensis, Romana: à natione, Gallica, Italica, &c.*

xxxvii. *Articulus Fidei Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, intelligitur potissimum de Ecclesia inuisibili, quæ quia non dignoscitur sensibus externis, creditur esse: quia sanctis constat, id est, sanguine Christi ab omni peccato mundatis & sanctificationis initia habentibus in hac vita, & in perfectione in sequenti habituris, dicitur Sancta Ecclesia: quia constat ex omni tribu & lingua electis, Catholica: quia in vnitatem fidei & Apostolicæ doctrinæ conuenit, una & apostolica in symbolo Niceno dicitur.*

xxxviii. *Ex his qui cœlesti vita iam fruuntur, dicuntur triumphans Ecclesia: qui adhuc cum tentationibus & aduersis conflictantur, Ecclesia militans. dici etiam possunt hypocritæ donec deficient, electorum commilitones. Ecclesiae partem aliquam in purgatorio igne torreri, fabulosum est.*

F I N I S.



Umg. VI 45

ULB Halle 3  
002 379 767




s. b.

WDA







THESES THEOLOGICAE  
DE  
ECCLESIA  
DOMINI DEI  
NOSTRI,  
QVAS  
Auspice Christo;  
PRÆSIDE  
REVERENDO ET  
CLARISSIMO VIRO, IACOBO  
KIMEDONCIO, S.S. Theologiae Docto-  
re & Professore in inclita Heidel-  
bergensi Acade-  
mia;  
PRO THEOLOGIAE  
DOCTORATU,  
ABEL BEDEVVS ANDEGAVENSIS,  
examinandas proponit: hora & loco  
solitis, ad XIII. Kal. Iul.  
HEIDELBERGÆ,  
Typis Smesmannianis, Anno c1o 1o xcvi.

16

